



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Recollectio Spiritvalis

Masen, Jacob

Coloniae Agrippinae, 1691

Consideratio De Negotiatione spirituali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60213)



CONSIDERATIO

De Negotiatione spirituali.

PUNCTUM I.

Perpende vitam nostram juxta sanctum Gregorium esse nundinas, atque adeò te, reliquosque homines mercatores esse ; vide ergo, quomodo negotiationem tuam hæctenus institueris, &c.

Examina te I. An, ut mercatores temporis accuratissimam habeas rationem, memor consilii à Sapiente dati Eccl. 14. non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat?

Examina te 2. An, ut mercatores adhibeas optimum negotiandi modum, qui in tribus maximè industriis consistit, quarum prima est, ut eas merces compares, Deòque vendas, quæ pluris ab eo æstimantur, majorique pretio emuntur, id est, ut opera ea libenter facias, quæ Deo gratiora sunt, v. g. opera charitatis, patientiæ, abnegationis sui, &c. Secunda est, ut pondus iisdem mercibus tuis per fervorem adjicias ; Tertia est, ut summo, quo potes pretio easdem vendas, id est, ex optima in-

tentione, scilicet solius beneplaciti divini eadem peragas?

Examina te 3. An, ut mercatores instrumenta lucrandi otiosa esse non finas, id est, an, si opere ipso complere desideria tua non potes, saltem ardentor desideres facere: nam & hic modus non infimus est ditescendi spiritualiter; si enim qui approbat peccatum, perindè punitur à Deo, ac si patrasset; cur is, qui verè opus virtutis desiderat, sine præmio erit, cum Deus facilius remuneret, quam puniat?

Examina te 4. An, ut mercatores, sæpius lucri, damnive rationes in eas, per examina quotidiana, menstrua, annua, conerisque refarcire, quod per incuriam, aut oscitantiam à te neglectum esse advertis?

PUNCTUM II.

Perpende motiva huius negotiationis.

Primum petitur ex emptore, cui venduntur, cum enim Deus omnes merces operum tuorum ardentissimè desideret, promptissimè accipiat, liberalissimè compenset, an non vel hoc titulo merces & optimas & plurimas illi offeres?

Secundum petitur ex ipsis mercibus; cum enim minima particula gratiæ plus valeat, quàm omnia regna & universa natura; & ex altera

altera parte id , quod leve & momentaneum est, tribulationis (& operationis) nostræ æternæ gloriæ pondus operetur in nobis , teste Apostolo 2. ad Corinth. 4. an non Ecclesiastici consilium sequeris c. 9. dicentis : quodcunque potest facere manus tua instanter operare, &c.

Tertium petitur ex ipsa negotiatione, quia hæc sine peccato proprio, damno alterius, cum magna laude & honore, summa quiete & voluptate, insigni Dei & Sanctorum approbatione instituitur ; & præterea certam continet securitatem de jactura lucri, cum sine tua voluntate nunquam illud amittere possis.

Quartum petitur ex ipso Venditore , scilicet teipso , qui , cum tot præclaras lucri occasiones neglexeris , & tam serè hanc negotiationem incipias , meritò variis industriis præcedentia damna recuperare conaris.

PUNCTUM III.

Perpende, quæ media tibi ad hanc negotiationem conducere possint , quatuor maxime suggero.

Primum est , ut frequenter mercatorum temporalium fervorem atque diligentiam animo volvas , eorumque exemplo ad omnes labores difficultatésque devorandas te excites, illud tibi assiduò occinens : potuerunt isti & ista, & tu non poteris?

Secundum est, ut magno animo atque ingenti spiritualis lucri desiderio, negotiationem hanc auspiceris.

Tertium est, ut nundinarum, id est, vitæ tuæ tempus brevissimo termino tibi circumscribas, ideòque illud S. Pauli 2. ad Corinth. 6. frequenter in ore animòque habeas: ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.

Quartum est, ut mercatorum more oculos mentis non ad opes comparatas, sed eas, quas adhuc comparare potes, conjicias; nam in hac sola negotiatione avaritia laudabilis est, votaque non tormentum, sed consolationem & fructum afferunt servo Dei.



MEDITATIO VI.

De Peccatis Ecclesiasticorum sollicitè vitandis.

VERITAS. Ecclesiasticus gravissimè obligatur omne peccatum devitare, ob sanctum munus, quod in Ecclesia erga Deum sustinet: (2.) Tum verò etiam ratione proximi, cujus

Handwritten marginal notes on the left edge of the page, including the word 'Mercator' and other illegible characters.

Fragment of text from the adjacent page on the right, including words like 'cu', 'qu', 'di', 'qu', 'PE', 'D', 'tr', 'fu', 'm', 'ac', 'ta', 'cu', 'ar', 'ri', 'ti', 'm', 'te', 'ca', 'pa', 'a', 'I'.